





Herrn Hof-Physikus Bieuten d. 10<sup>ten</sup> Februar 1806.



DE  
**MORBIS MALIGNIS**  
EX CARITATE ANNONAE  
ORIVNDIS.

AVSPICIIS SVMMI NVMINIS

ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

S. R. I. NOBILI,

POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO, FACVLTATIS  
MEDICAE SENIORE ET H. T. DECANO SPECTATISSIMO, REGIORVM ALVMNORVM  
EPHORO, IMPERIAL. ACAD. NATVR. CVRIOS, PRAESIDE ET COMITE  
PALATINO CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**

SOLEMNITER OBTINENDO

AD D. I. NOVEMBR. A. S. R. c1o 1o cclxii.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

**EPHRAIM CAROLVS FRIDERICI**

OLBENDORFIO-SILESIVS.



HALAE AD SALAM

AERE SCHNEIDERIANO.





DE  
MORBUS MALIGNIS  
EX CARITATE ANNONAE  
ORIVINDIS.

AVSPICIS SVMMI NVMINIS  
ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
VIRI ILLVSTRIS EXCELLENTISSIMO ET REVERENDISSIMO  
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

3. 1. 1801  
ECCLENTISSIMO PRIVATAE REGIAE A CONSILIIIS PATRIS  
MEDICAE ET CHIRURGICAE NATVRAE SCIENTIAE VICE ORDINARIO FACULTATIS  
MEDICAE SENIORE ET H. T. DECANO SPECTABILISSIMO REGIORVM ALTISSIMO  
EPHORO, INTERIALI ACAD. NATVRAE CVMQVE PRAESIDE ET COMITE  
KATVINO CAESAREO

PRO GRADV DOCTORIS  
SOLEMNITER OBTINENDO  
AN. D. 1. NOVEMBER. A. R. N. EPISCOPALIS  
PABRICE DEPTABELL

ACTOR  
EPHRAIM CAROLVS FRIDERICI  
ORDINARIO-RECTOR

HALLAE AD SALTAM  
KERN SCHEIDTNER





VIRIS

DOCTRINA, DIGNITATE, FAMA AC VIRTUTE CONSPICVIS,

VIRO

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO

BALTHASAR LVDOVICO

TRALLES

MEDICINAE DOCTORI LONGE LATEQUE

FAMIGERATISSIMO ACAD. CAESAR. LEOPOLD. CAROLINAE NAT. CVRIOS.

ADIVNCTO DIGNISSIMO,

NEC NON

VIRO

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO

IOANNI SIGISMVND

HAHN,

MED. ET PHILOS. DOCTORI CELEBERRIMO

COLLEG. MED. ET SANIT. VRATISLAV. ADIVNCTO MERITISSIMO

PHYSICO ORDIN. SVIDNIC. DIGNISSIMO, ECCLES. ET SCHOL.

EVANG. SVIDNIC. EPHORO VIGILANTISSIMO,





VI  
VIRI  
DOCTRINAE PUBLICAE HONORIS TESTIFICATIO CONSPICUA  
IN  
EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO

FAVTORES ET PATRONOS

SIBI PERQVAM ACCEPTOS

EXSTET  
MEDICINAE DOCTOR LONGE LATEQUE  
FAMIGERATISSIMO ACAD. CAESAR. LEOPOLD. CAROLINAE NAT. CURIOS.  
PRAESENS SPECIMEN ACADEMICVM

TANTIS NOMINIBVS

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO  
IOANNI SIGISMUNDO

HANN.  
MED. ET PHLOS. DOCTORI CELEBRISSIMO  
COLLEG. MED. ET NAT. HIST. IN UNIVERS. ALMA MATER. MEDICINAE  
PHYSICO ORDIN. SYNDIC. DIGNISSIMO. ECCLES. ET SCHOL.

OBSEQUIOSISSIMVS ILLORVM CVLTOR

EPHRAIM CAROLVS FRIDERICI.





DESSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

MORBIS MALIGNIS  
EX CARITATE ANNONAE

ORIVNDIS.

PROOEMIUM.

**M**edico, vestigia empirici euitare cupienti, morborumque ac phaenomenorum, in iis occurrentium, causas inuestigare conanti, non sufficit, vt solummodo eas sibi cognitae reddat atque perspektas, quae immediate in corpus nostrum agunt, sed ad omnia ea quoque attendere debet, quae primo intuitu quidem parum commercii habere videntur cum corpore nostro, attamen, habita ratione variorum suorum effectuum, omnino cum illo in nexu versari obseruantur. Probe id quoque cognouerunt Medici antiquioris aevi, vt hic iam modo GALENUM in exemplum proferam, qui omnino necesse esse iudicabat, vt, pro meliori indagacione causarum morbos epidemicos inducentium, saepe respiciatur ad Rerumpublicarum calamitates. Quod prudentiae plenum consilium nostris praecipue diebus a Medi-







Medicis non est negligendum, quum temporis, quo nunc viuimus, conditio, foecunda sit multorum morborum genitrix. Saeuit enim & adhuc furibundum, per multos iam annos hucusque gestum, bellum: & quis est, qui eius calamitatibus nondum afflictus fuit? Quemadmodum autem illud generi humano vario modo immensas struere solet noxas: sic quoque pedissequa eius haud inconstans, *annonae* nempe *caritas*, multa & grauiora ei inducere valet mala. Quam obrem mihi primum in mentem veniebat, data occasione diuturnioris obsidionis Svidnicij, quod instar patriae meae dulcissimae habeo, morbos indagare ex fonte *caritatis annonae* emanantes, dum Specimen quoddam academicum mihi exhibendum erat. Sed cum tale opus prolixius esse mihi videretur, quam vt omnia hic dicenda intra tam arctos Dissertationis limites cogi possent, eos tantummodo ex horum numero selegi, qui vitae sunt maxime infensi. En! igitur, beneuole Lector, *morbosum malignorum originem ex cara annona* deductam! Id mihi mei laboris praemium fore iudicabo, si tibi hic tradita non plane displiceant. Ceterum annuas, summe Numen, conatibus meis, iubeasque elementissime eos in emolumentum publici vergere!





## §. I.

Fluida corporis humani ex sua propria indole tendere ad putredinem, nemo sane vnquam inficias ibit, qui eorum phaenomenorum, etsi horum mixtio obscura esset, non plane ignarus est. Ea etenim omnia, extra corporis nostri limites translata, breue post temporis interuallum in putredinem abeunt, licet aëri exponantur frigidissimo. Dubitantem autem te, an idem etiam euenire posset intra ambitum corporis nostri, de veritate facile conuincere potes ex eo, quod liquida nostra in quiete constituta, sublato post mortem omni motu, promptissime putrescunt. Sed felix esset homo, si eius humores post mortem tantummodo putrescerent! Morborum malignorum facilis ac frequens ortus, putridam corruptelam, in fluidis praesentem, semper vt causam agnoscentium, quotidie in viuo adhuc corpore fluida mox a putredine corripit docet, adeo, vt superfluum quid suscipere viderer, si demonstrationi procliuuitatis fluidorum nostrorum ad putredinem diutius inhaerere vellem. Silentio igitur iam praetermittam, calorem continuum, itemque motum fluidorum nostrorum intestinum, de quo infra prolixius agere mihi animus est, multum facere ad concitandam in iisdem putredinem.

## §. II.

Putridum autem quo frequentius in fluidis nostris generatur, eo facilius etiam vt supprimatur, aut ex corpore eliminetur, necesse erat. Misera foret machina nostra, et suae destructionis periculum facile subiret, si putridum, in fluidis eius oboriens, intra ipsius fines diutius absque mutata eius indole commoraretur. Sed  
quis



quis est, qui hoc a sapientia summi eius Creatoris expectare audeat? Quod enim corpori ex indole sua noxium fieri poterat, id ille etiam curavit, ut, antequam effectus suos noxios exferere queat, aut arceatur, aut e corpore proscribatur. Vtrumque putrido contingit, quod in fluidis animalium explicatur. Ad prius obtinendum, chylus, e vegetabilis profapiae esculentis confectus, est aptissimus. Plantis enim plerumque inesse acidum, dicitur chemica illarum analysis; virtus autem acidorum, destruendi alcalia, hinc et putrefactionem compefcendi, certissima est. Quare acidum subtile, ex assumtis vegetabilibus elicium, et vna cum chylo ad sanguinem aliosque humores deductum, eorum proclivitatem ad putrefactionem tollere valet. Sin autem minus destruatut putridum, tantum abest, ut corpori noxas inferat, ut potius illico ex eo proscribatur. Praestant hoc officium vtilissimum omnia organa excretoria (per princip. physiol.). Sub vehementi exagitatione corporis plethorici sudor olidus prodit, urinaeque maxime foetida. Conf. Perillustr. L. B. a SWIETEN *Commentar. ad Aphorism. Boerb. §. 84. not. 2.* Quot et quam atrocissima mala ex perspiratione imminuta aut suppressa in conspectum veniunt, quae plerumque, si causam eorum indagare velis, ab acerbis, imo ipsis putridis particulis, tali modo in corpore retentis, dependent! Nonne satis perspicue tandem docemur, ope excretionum naturalium putridi euacuationem fieri, ex observatione in physicis notissima, quod nempe, si quis diutius in aere clauso viuat, aer eius atmosphaericus plane euadat corruptus atque foetidus? Quibus perpenis iure colligendum esse duco, putridum per organa excretoria e corpore eliminari.



ri. Viis autem horum organorum in corpore sano semper apertis, putridum quoque generatum e corpore sano continuo profcribatur necesse est.

## §. III.

Iam itaque liquet ex §. antecedente, putridum in fluidis generatum continuo educi per excretiones naturales. Harum beneficio aliae quoque humorum remouentur partes, (per princ. Physiolog.), adeoque illorum massa continuo imminuitur. Quodsi haec continua imminutio longius perdurat, humorum exinde defectus oriatur necesse est. Defectus autem massae humorum producere valet totius corporis decrementum. Physiologia enim solida nostra nutrimentum suum capere docet ex fluidis. Deficientibus itaque fluidis, deficit etiam nutrimentum totius corporis, idque tandem necessario destrueretur. Opus ergo hinc erat, vt haec destructio auerteretur, continua defectus humorum, ab excretionibus naturalibus oriundi, restitutione.

## §. IV.

Hanc restitutionem defectus humorum fieri per assumpta nostra, esculenta ac potulenta puto, neminem facile fugit, qui vago saltem oculo corporis sui intuitus est phaenomena. Ex iis nempe chylus in ventriculo et canali intestinorum conficitur, qui a villis tenuium intestinorum resorptus, inque lactea vasa receptus, in cisternam lumbarem, et abhinc demum per ductum thoracicum ad sanguinem deducitur, vbi eiusdem naturam induens, locum eorum occupat partium, quae per excretiones naturales sanguini, aut fluidis, ab eodem secre-

B

tis,



ris, continuo detrahuntur. Fir itaque restitutio defectus humorum per esculentorum et potulentorum assumptionem.

## §. V.

Ciborum assumtio, vitra iustum et consuetum tempus neglecta, sensationem nobis parit incommodam, quam nomine *famis* insignire solemus. Quo diutius nunc itaque ciborum assumptionem protrahimus, eo magis ingrata nobis redditur fames.

## §. VI.

Caritatem annonae numerum quoque ingredi caussarum, ex quibus fames nascitur, comprobare mihi iam incumbit. Sed, dum res ipsa manifesto loquitur seque defendit, superfluum esse mihi videtur, si eidem longius immorari vellem. Caritatem annonae adesse dicimus in regione quadam, quando in ea annona tam rara deprehenditur, ut non nisi magno pretio obtineri possit. Sub tanta raritate autem annonae multi incolarum eam sibi comparare non possunt. In statu enim civili semper pauperes intermixti sunt opulentioribus. Opibus itaque destituti carere quoque debent annona, dumque hanc ob rationem ventriculo suo non debite consulere poterunt; hinc sensationem percipient singularem, quam famem §. antec. vocavimus. Accedit huc, quod caritas annonae plurimum pendat ab insufficienti quantitate alimentorum, respectu incolarum in quadam regione habitantium; vnde elucescit, quod nonnulli illorum, ob insufficientem copiam alimentorum, necessario fame torqueri debeant.

Vel



Vel me tacente quisque facile perspicier, vocem annonae in sensu ampliori hic assumendam esse; sub annona etenim omnia ad vitam sustentandam necessaria alimenta intelligimus, quo significatu etiam ICI vocem illam accipiunt.

## §. VII.

Non omnibus quidem incolis, iuxta §. antec. contingit fors illa tristissima, ut esuriant propter caritatem annonae: attamen, habita ratione ad nonnullos eorum, effectus annonae carae, fames scilicet, semper praesto erit, licet non sit vniuersalis. Sic quoque pariter contra assertum §. antec. vrgere haud licet, famem ex cara annona oborturam supponere omnium alimentorum inopiam, quae tamen rarissime obseruaretur. Largior quidem, naturam non tam inopem esse, ut solis consuetis nostris alimentis virtutem concedere debuerit nutrientem. Sed iure haesitare possum, numne etiam deficient quaecunque alia genera alimentorum, deficiente consuetorum numero. Adfunt autem et minus consueti, in regione quadam caritate annonae grauata; omnibus tamen incolis non semper permittum est, ea vbius quaerere, vti hoc in locis obsessis euenit, imo et in castris, quae deserere milites non facile possunt. Tandem etiam parum attendi meretur obiectio eorum, qui putant, in esculentorum locum succedere posse potulenta, utpote quae etiam ad corporis nutritionem quicquam conferre possent, quorumque defectus plenarius, deficientibus licet alimentis, non semper occurreret, ut idcirco fames molesta ex cara annona metuenda esset. Verum enim vero, sicuti iam res confecta est inter Medicos, potulenta quaedam ad



classẽ nutrimentorum, exemplo cerevisiæ, referri posse; ita quoque verum est, non omnibus competere nutriendi facultatem, restantibus id aqua et vino. Potus autem nutritii aequè deficient sub caritate annonæ, sicuti esculenta, adeoque etiam ex illis, sub ciborum defectu, vix vnquam auxilium qualecunque obtineri poterit.

## §. VIII.

Si quis famem ex quacunque causâ, hinc et ex caritate annonæ subortam, diu sustinere coactus est; in illo etiam restitutio defectus humorum, qui a continuis excretionibus naturalibus euenit (§. III.), non subsequetur. Sed constat ex §. IV. hanc restitutionem fieri per alimentorum assumptionem. Patet ergo exinde, ea neglecta, restitutionem illam deficientium humorum non expectandam esse.

## §. IX.

Deficiente debita quantitate massæ humorum, motus eorum progressius languescere debet. Motus enim progressiui fluidorum nostrorum principalem causam in motu cordis, systole nempe ac subsequente diastole, quaerendam esse, satis superque ex physiologicis enictum est præceptis, quæ simul luculenter demonstrant, motum cordis systolicum pendere ab irruente sanguine in cavitates cordis, quas irritando cogit ad contractionem. Quodsi itaque sanguis non sufficienti in copia deferatur ad caua cordis, id quoque minori gradu sollicitatur ad contractionem, hocque, deficiente debita quantitate fluidorum, contingere debet. Cor ergo sub tali statu sese minus contrahit, et sanguis ex eodem minori vi propellitur. Sanguis



guis igitur a minori vi cordis propulsus, tardius per vasa progreditur, languidusque sic redditur eiusdem motus progressivus. Huc insuper accedit, quod debilitas haec motus progressivi tanto magis incrementum debeat, dum ob humorum defectum ipsa vasorum nutritio et naturale robur imminuitur. Vasa enim, liquida nostra vehementer, privantur hisce requisitis, dum nutrimentum suum ordinarie ex lymphis nutritis, a sanguine secreta, hauriunt, qua sublata, illorum robur decrescere debet. A valida autem vasorum in fluida actione ea ipsa ulterius propelli, per se iam abunde constat, adeoque, imminuto naturali illorum robore, minori vi fluida propellunt, horumque idcirco motus progressivus languidus evadere et manere debet.

## §. X.

Tarde progredientibus fluidis, motus eorum intestinus intenditur. Humores nostros esse heterogenea fluida, (quamvis ad sensum massam homogeneam exhibeant,) ex diversis particulis composita, res est ex physiologicis aequae ac chemicis abunde iam comprobata. Si haec particulae, humorem quendam constituentem, locum suum ita mutant, ut in diversis directionibus, motui progressivo contrariis, in se invicem agant, motum hunc dicimus *intestinum*. Pater iam ex tradita definitione, motum progressivum impedimento fieri, quo minus praevaleat intestinus. Vis enim sub hac conditione semper maior est, qua particulae humorum constitutivae ulterius propelluntur, ea, qua versus se invicem diriguntur: hinc motus (iuxta leg. mechanic.) sequitur longitudinem vasorum, et ita motus intestini inhihetur augmentum. Cessante autem hoc impedimento motus iste magis incrementum potest.



Evidentissimum huius rei argumentum nobis sistit: quaecunque secretio. Requirit enim ea semper particularum constituentium humoris fecerendi mutatam relationem, directionem et actionem erga se inuicem. Cum vero haec actio solummodo a motu intestino pendeat, et quidem magis aucto, quam in alia parte (vid. b. LOESEKE Diff. *de Motu intestino*, §. 27. in qua, nullam secretionem fieri sine motu intestino, asseritur); cum porro omnis secretio in vasis minimis perficiatur, vbi ob remotiorem a corde distantiam motus progressiuus minor (per princip. physiol.) euadere debet: sequitur exinde, vt motus intestinalis, remittente progressiuo, magis intendatur. Ad alia corpora si etiam attendimus, idem in iisdem euenire deprehendimus. Communis enim est obseruatio, fluida fermentescibilia, quando in fermentatione sunt constituta (sub qua tamen motus intestinalis non solum adesse, sed etiam augeri debet), in quiete versari. Egregie ergo consentit propositio nostra tam cum nostri corporis, quam cum aliorum fluidorum phaenomenis.

Ideo tantum de motu intestino, qui ex progressiuo imminutione oriri potest, vberius disserui, quia ad illum saltem in subsequenibus respiciam; hinc de origine motus intestinalis ex progressiuo augmento, nulla iam facienda erat mentio, vtpote quem possibilem esse concedo, saluis iis omnibus, quae in §. disputata erant.

## §. XI.

Motum fluidorum nostrorum intestinum auctum determinare in iisdem putrefactionem, nunc ordo instituti praesentis demonstrare iubet. Id quod facile me praestitutum esse arbitror, praemisso §. antecedente, in quo nempe satis dilucide explicatum fuit, motum intestinum



num consistere in diuersa ac mutua particularum, fluidum quodlibet constituentium, actione versus se inuicem. Eandem vero actionem sibi vindicat genesis putrefactionis, quum ad illam producendam itidem certa mixtio massae fluidorum requiratur, vt nouum productum volatile exinde proueniat. Talis autem noua mixtio obtineri nequit, nisi certae particulae, fluidum constituentes, (quarum specialem determinationem Chemicorum indagatiōni relinquo,) in se inuicem agant, se inuicem contingant, et sub hoc contactu aliae alias resoluant, talique modo nouam mixtionem, nouum productum, eliciant. Iam vero ex §. antec. satis constat, talem actionem particularum in se inuicem motui intestino aucto esse adscribendam. Ergo verissimum est, motum intestinum fluidorum nostrorum illa ipsa quoque disponere ad putrefactionem. Adprime etiam hoc assertum congruit cum obseruatis. Post mortem omnium animalium corpora putredine dissolui, iam vulgo etiam notum est; nec quempiam facile later, omnem cessare motum progressiuum in cadaueribus. Putredo itaque hic tam manifeste apparens, cum nunquam absque aucta intrinseca actione particularum constituentium versus se inuicem existere possit, talisque actio motum semper quendam praesupponat intensum, non nisi motui intestino aucto, sublato hic omni progressu suo fluidorum motu, ortum suum debere potest.

Plura hic quidem dici potuissent de natura istarum particularum, quae putredinis generi fauent, si ingenio indulgere, et fictitia pro veritatibus venditare voluisssem. Putrefactionis theoria nondum tam distincta condita fuit, vt eius essentia extra omnem dubitationis aleam posita sit, licet iamdudum magni viri in hac re desudauerint. Gradus diuersi putrefactionis obseruantur, similiterque variant eius producta; sed dolendum



lendum omnino est, mensuram, secundum quam gradus putrefactionis rite sunt definiendi, nondum cognitam et exacte determinatam esse. Inde etiam venit, ut de particulis, ortui putredinis proprie dicatis, nondum certiores facti simus. Interim tamen, licet etiam natura earum nobis ignota sit, sufficit iam nobis, de origine putrefactionis ab aucto fluidorum motu intestino hic sollicitis, quod de illarum praesentia in fluidis nostris satis conuicti sumus, utpote quam etiam phaenomena in §. I. adducta manifesto confirmant.

## §. XII.

Quo procliuora sunt fluida nostra ad putrefactionem, eo facilius quoque illa determinari potest ab increfcente motu intestino. Propensio vero fluidorum nostrorum in putrefactionem iam iam demonstrata fuit (§. I.). Ergo quoque facilius putrefactionem inducere valet fluidis nostris motus eorum intestinus auctus.

## §. XIII.

Quicquid tandem tibi concipias, quod evolutioni putridi in fluidis nostris resistere, eiusdemque indolem nociferam corrigere aut plane tollere possit, illud tamen sub defectu massae humorum, ex fame nimis diu protracta oboriente, vel cessat, vel minus efficax est. Acidum quidem in chylo retentum, cunq̄ue eo ad sanguinem omniaque reliqua fluida delatum, vim saluberrimam exserit destruendi putridum (§. II.). Sed cum chylus hocce in casu deficiat, acidum eius quoque deesse debet, putridique ortus minime ex hoc capite impeditur aut difficilis redditur.

## §. XIV.



## §. XIV.

Lente progredientibus fluidis nostris, lentescunt quoque excretiones naturales, vrpote motus progressiui effectus. Hae autem sunt viae, quarum ope putridum, in fluidis nostris productum, ex corpore remouetur (testante §. II). Quare haud dubitandum erit, quin putridum, ex languido motu progressiuo fluidorum natum, ob eandem causam etiam in vasis retardari atque intra corpus diutius retineri debeat.

## §. XV.

Propositiones in §§. antecedentibus euictas non desirutas esse experientia, docent frequentes obseruationes, quarum nonnullas iam in medium proferre mihi liceat, vt veritas praedictorum eo magis elucescat, et vterius corroboretur. Celeberr. Tschirnhavsen iam obseruauit, post ieiunia nimis diu protracta saliuam factam esse admodum foetidam, gingiuas destruentem, partes intra cauum oris rodentem. Nonne haec omnia sunt signa putrefactionis? Huc quoque pertinet exemplum, quod in *Annalibus physico-mediceis Wratislaviens. Tentam. VIII. Anno 1719. Class. IV. Artic. 9.* proffat. Melancholicus nimirum quidam sanguinem foetidum eiecit die sibi extremo, postquam per sexaginta, et quod excurreret, dies nullum cibum assumerat. Ad reliqua vero exempla per complures annos ieiunantium, idque absque indicio quodam manifesto malignitatis cuiusdam subortae, ibidem prolata quod atinet, non destituimur rationibus probandi, quod haec, contraria licet apparentia exempla, nihil contra nos euincere possint. Occurrerunt enim multi istorum casuum maxime iis temporibus, in quibus miraculorum cupidissimi erant homines. Quod vero reliqua

C

ibidem



ibidem ex recentiori aevo descripta attinet exempla, vbi, ieiunio per aliquot hebdomades continuato, nulla putrefactionis signa comparuerunt, vtrique quidem, sub dicta modo conditione, corpori humano ingeneratur putridum, quod vero primis temporibus nonnumquam a pinguedine relae cellulosae obuoluitur, ita vt eidem aliquamdiu inhaereat, et demum sub vltiori progressu sensibus se offerat. Huc insuper accedit, quod in illorum casuum enarrationibus multa ommissa esse videantur, quarum accuratior descriptio omnino necessaria foret. Interim hac occasione temperare mihi non possum, quin notatu dignam quandam obseruationem, quam Berolini, ex ore Excellentiss. MACKELII, audiui, hic allegem. Foemina quaedam melancholica, ob vanum in mente conceptum metum, ne forsitan cum alimentis venenum sibi porrigeretur, omnem illorum assumptionem pertinaciter respuebat, nullaque ratione ad eandem persuaderi poterat, sed potius in hac abstinentia vltra 24. dies perseuerabat, exiguam saltem aquae quantitatem quotidie deglutiendo, vnde tandem omnia putredinis phaenomena in ea sese manifestabant: foetor adeo abominabilis dispersebatur per totum illud conclaue, in quo misera haec commorabatur, vt nemo subsistere ibi poterit, nisi fumo aceti, candentibus lapidibus inspersi, continuo aliquo modo corrigeretur. Haec ergo nunc sufficiant, pro demonstranda putredinis genesi in fluidis nostris, ex inedia nimis longe protracta.

## §. XVI.

Quodcumque putredinem determinare valet in fluidis nostris, id quoque inducere potest morbos malignos. Ad demonstrandam huius  
pro-



propositionis veritatem multum omnino conferet exactior morbi maligni cognitio. Quum vero in illo definiendo adhuc inter se differant pathologici Scriptores, non incongruum fore iudico, si praecipuos illos morbos, qui sub nomine malignorum veniunt, paucis iam, vna cum essentialibus suis symptomatibus, considerauero, formando dein, ex illorum combinatione, generalem quandam, quae singulis competit speciebus, ideam. Scabies rebellis, scorbutus, cancer, aliaque vlcera putrida, affectus veneri, itemque variae species febrium, vti febris catarrhalis petechizans, miliaris alba, perechialis, pestilentialis, variolae, morbilli, et dysenteria, communiter morbos constituunt malignos. In omnibus his signa destructae in massa humorum mixtionis observare licet: in omnibus miasma deprehenditur, siue materia valde subtilis salino-sulphurea, in fluidis nata et dissipata, quae mixtionem eorum dissoluere, et, si in aliud quoddam translata est corpus, similem denuo producere valet morbum. In scabie ferina adesse admodum deprauatam mixtionem fluidorum, et subtilem quandam materiam acrem, perquam actiuam, docent pustulae, summum ex retroactione istius materiae emergens vitae discrimen, et facilis propagatio per contagium. Scorbuticorum sanguis niger ac foetidus apparet, et solida in iisdem destrui, ostendunt cruentatio et exulceratio gingiuarum, rebellia et foetida hinc inde in corpore prodeuntia vlcera, faciliisque huius morbi transitus in alia corpora antea sana. Tandem de febribus malignis notissimum est, sanguinem ex vena emissum plerumque iam resolutum esse, nec facile coagulari, aegros de vita quam maxime periclitari, aliosque homines sanos ab exhalationibus decumbentium facillime eodem morbo infestari.



Morbis itaque malignus ille dici meretur, in quo talis deprauatio et resolutio mixtionis fluidorum obtinet, ut materia subtilis dissolutoria, vitae summe infensa, exinde prognascatur. Omne igitur, quod mixtionem fluidorum nostrorum ita inuere valet, causa quoque morborum malignorum esse debet. Nihil autem ad hoc praestandum aptius inueniri potest, quam putrefactio. Si enim corpora putrescunt, tunc mutatur eorum forma, color, sapor, et odor, materiaque volatilis ac foetida sese euoluit, aliam quoque partem, a putredine adhuc liberam, si ad eam defertur, destruens. Similis ergo naturae est hoc productum cum miasmate, in morbis malignis occurrente. A simili vero effectu concludere licet ad similem causam. Hinc merito colligendum est, putrefactionem, fluidis nostris ingeneratam, morbos proferre posse malignos. Quod etiam res ita se habeat in corpore nostro, demonstrant signa putrefactionis in morbis malignis obuia, et imprimis foetor, quem spargunt aegrotantes morbis hisce afflicti, cadauerosus, itemque repentinus ille transitus in putredinem cadauerum febribus talibus demortuorum. Confer. b. LUDOLFI Dissert. inaug. *de Impedimentis circa solutionem febr. malignar. maxime salutarem obuiis*, 1758. in hac Academia ventilata. Nata igitur in fluidis nostris putrefactio causam constituit morborum malignorum efficientem; idcirco manifesto etiam patet, omne, quod putredinem gignit in fluidis nostris, etiam morbos malignos producere posse.

## §. XVII.

Inediam diutius protractam rationem in se continere imminutionis, imo defectus massae humorum nostrorum, ex superioribus (§. VIII.) constat. Deficiente legitima quantitate massae fluidorum, lente haec ipsa pro-



progredi, docuit §. IX. His vero lente progredientibus, motus augetur intestinus (§. X.). Ipso tandem hoc aucto facile putridum progerminare, ex quo deinde morbi maligni ortum suum trahunt, euidenter euictum fuit §§. XI - XIV. Quilibet ergo ex his facili negotio morborum malignorum, ex inedia nimis diu protracta, perspiciet originem.

## §. XVIII.

His itaque iam expositis, quae necessario praemittenda erant, antequam ad enodandum principale Dissertationis momentum accederem, nunc omnino per se patere poterit, malignos ex caritate annonae prouenire posse morbos. Nam sub ea adesse famem diurnam, atque hanc degenerare in causam morborum malignorum, supra iam §§. VI. et seq. euictum dedimus, vnde etiam manifesto apparet, quam ratione morborum malignorum ortus ex caritate, annonae concipi debeat.

## §. XIX.

Quo plures causae efficientes, sibi non contrariae, concurrunt ad vnum effectum producendum, eo facilius etiam effectus iste producit. Inde ergo nunc haud difficulter constabit, quod subiecta, sub annonae caritate fame vexata, animi simul pathematibus, maxime moerori, indulgeant, ob imminens vitae periculum. Moeror autem numerum etiam subit causarum, quibus humorum nostrorum motus progressus languidus redditur (per princip. patholog.). Accedente ergo moerore ad supra iam expositos effectus languidi motus progressiui fluidorum nostrorum, vtrique putrefactio ac morbi maligni citius in conspectum prodibunt.



## §. XX.

Docent Pathologi, confirmantque frequentes obseruationes, miasma, in morbis malignis per massam humorum oberrans, talis conditionis esse, vt facile in aliud corpus transire possit, vbi fermenti instar similem morbum, absque alia accedente causa, excludere valet. Morbos itaque malignos, ex caritate annonae derimandos, effluuia quoque sua in aliud corpus insinuare, facile mihi concedi poterit. Quod si id contingat, in alio corpore enascitur morbus malignus, cuius exhalationes iterum aliud quoddam eodem morbo inficere possunt, et si nobis hunc modum transplantationis alterius ita repraesentamus, vti iure concipiendus est, non difficulter cognoscere licebit, plures alios homines, ciborum non adeo insigni defectu alias laborantes sub annonae caritate, pariter tamen morbis malignis corripri posse, sicuti ii, qui fame torquentur. Elucescit ergo exinde, numerum illorum malignorum morborum non exiguum esse, qui natales suos debent annonae caritati.

## §. XXI.

Sed ne hoc quidem momentum hic silentio praetereundum erit, quod ad praesentem considerationem quam maxime adhuc pertinere videtur. Contingit nimirum saepius, vt eiusmodi temporibus calamitosae annonae caritas paululum remittat, ita vt, qui antea grauem perpeffi erant famem, ad eam nunc sedandam, maiori ciborum copia ventriculum nimis repleant. Sic enim efficitur, vt, ventriculo ob calamitatem praegressam debilitato, putridum, ex cibis incaute eo delatis, generetur, morbisque malignis exinde oborientibus ansa prae-

bea-



beatum. Exinde igitur apparet, quod etiam mediocris et brevis annonae caritas morborum malignorum generi faueat.

## §. XXII.

Huc vsque igitur ortum malignorum in genere ex caritate annonae euoluere allaborauimus; nunc non alienum fore arbitramur, si species quasdam morborum malignorum seorsim adhuc indagabimus, quae ex hoc fonte scaturiunt. Omnia hic adducenda, nituntur fundamentis iam supra positis: hinc opus erat, ut ea antea indicarentur.

## §. XXIII.

Morbos in classes acutorum et chronicorum dispescere solent Pathologi. Ad priorem reducuntur omnes illi, qui cito transeunt, statimque sub initio cum vitae periculo stipati sunt: posteriorem constituunt ii, qui prioribus sunt oppositi. Haec diuisio locum quoque habet intuitu morborum malignorum. Dantur morbi maligni intra breue tempus decurrentes, et mox sub principio cum vitae periculo coniuncti. Occurrunt vero etiam maligni lente incedentes, minusque vitae infesti. Febres malignae ergo erunt morbi acuti, scabies ferina autem, scorbutus, lues venerea, etc. chronicos tales constituent.

## §. XXIV.

Famem igitur nimis diu, ob caram annonam, protractam, morbos malignos, tam chronicos, quam acutos, generare, nunc demonstrandum venit. Posita eadem causa, idem sequitur effectus. Morborum malignorum, tam acutorum, quam chronicorum, causa efficiens est putridum massae fluidorum inhaerens. Quare et fames nimis diu propter annonae



annonae caritatem protracta, tanquam causa putridum generans, si morbi maligni, tam acuti, quam chronici, oboriuntur, accusanda erit.

Quum vero magna adhuc discrepantia obseruetur inter morbos malignos, licet putrefactio omnium sit causa, nunc e re erit, vt huius differentiae reddamus rationem. In genere itaque primum inquiramus, vnde in morbis malignis veniat obseruata illa diuersitas: dein determinandum erit, qualis sit ratio, cur morbi maligni acuti alius sint formae, quam chronici: tandemque fundamentum indicabimus discriminis specierum morborum malignorum inter se ipsas; ex quibus in finem elucebit, quales species morborum malignorum ex cara annona potissimum proueniant.

§. XXV.

Id, quod efficit, vt morbi maligni diuersam habeant speciem, quaerendum erit in diuersitate vel ipsius putridi, vel fluidi putrescentis, vel loci, in quo putrefactio producitur.

§. XXVI.

Dantur gradus putridi, partim iudicandi ex qualitate eius, partim ex quantitate in fluidis praesente. Putridum in morbis malignis obuium non semper vnus naturae esse, suadet odor diuersus, quem spirant sub febre maligna decumbentes, qui modo vrinofus, modo subdulcis, modo subacidus, modo alliaceus esse obseruatur. Vtinam Medici curatius attenti fuissent, circa dimensionem huius gradationis. Potest etiam vnum putridum acredine superare alterum, adeoque in qualitate variare. Tunc enim massa putrida vel in maiori, vel in minori copia fluidis inesse potest: Si in maiori copia adsit, faeu-

tiam



tiam quoque suam exserere debet in ampliori ambitu, cum e contrario angustius spatium occupabit minor eiusdem quantitas. Fieri igitur potest, ob differentiam ipsius putridi, ut morbi maligni diuersimode appareant.

## §. XXVII.

Id, quod fluidum putrescens confert ad diuersitatem morborum malignorum, consistit vel in varia specie fluidorum, vel in eorum qualitate magis vniuersali variante. Sanguinis indoles discedit a secretorum suorum natura; et quanta differentia occurrit inter fluida ipsa a sanguine secreta? Aliter itaque morbi maligni se habent, ubi sanguis putrescit, ac il, quorum materia putrescens in fluidis haeret, quamuis deinde ad sanguinem deferatur: et si putrefactio in varia specie secretorum succedat, discrimen quoque exinde resultare potest inter morbos malignos. Tum fluidorum consistentia in genere inuerti potest, vel aucta eorum fluiditate, vel eadem imminuta. Si cohaesio partium maior fiat, viscidum euadit fluidum: sin parum partes cohaereant, fluidum tenuis redditur. Ponamus igitur, fluida nostra viscida esse, quae putredinem subeunt, nonne putridum, in eiusmodi fluidis latitans, in actione sua, ob auctam particularum cohaesionem, quam superare debet, impeditur? nonne maiori cum vi id agere potest in fluido attenuato, in quo cessat haec incarcerationio? Pro diuersa itaque fluidorum putrescentium consistentia putrefactio diuersa sequitur, morbiq; maligni variam induunt faciem. Proinde etiam motum fluidorum hic minime omittere licet, cuius varietas quoque diuersitatem in morbis malignis determinare potest. Sub vehementi enim motu resoluuntur fluida, partium cohaesio immittitur, aut plane tollitur; hinc miasma, ope putrefactionis genitum, leuiori vi alias partes attingere, easque simul putridas reddere potest. Tardè vero procedente motu, fluida magis inspissantur, particulae eorum constitutivae firmiter inter se cohaerent, sicque dissipatio putridi aut ardetur, aut difficilis redditur. Quis ergo nunc dubitabit, quin novam diuersitatem suppediter dissimilis fluidorum motus?

## §. XXVIII.

Loci denique ratio, in quo sedet putridum, pariter hic quoque attendenda erit, dum fontes diuersitatis morborum malignorum investigare allaboramus. Fieri nonnunquam potest, ut putridum dispersum sit per totum fere corpus, nec absonum est, quod illud angustioribus quandoque inclusum sit limitibus. In priori casu putrefactio fit magis vniuersalis; hinc morbi maligni incrementum sub hac conditione in-



dubium vocari nequit: in posteriori vero, ubi tantummodo particularis adest putrefactio, mitiores esse debent morbi maligni. Porro quoque partes, functionibus corporis nostri vitalibus peragendis destinatae, quando putredine corrumpuntur, morbus tunc pariter est malignus, cum aliis symptomatibus, imo cum maiori periculo coniunctus, quam si aliae partes minus nobiles tali corruptioni subiiciuntur. Tandem etiam partium diuersa substantia et structura attendenda est, dum et haec, si vel sanguiferae, vel exsanguae, vel tenerioris aut firmiteris compagis sunt, et putredo in iisdem oboritur, diuersam morbi determinare valet malignitatem.

## §. XXIX.

Consideratis causis, quae morbos malignos diuersimode modificare possunt, facili nunc perspicere poterit negotio, quomodo fiat, ut dicti morbi modo acutorum, modo chronicorum more incestant. Morbus acutus repente subiecta inuadit, eodemque modo progreditur, et plerumque cum vitae periculo est coniunctus. Inter illa igitur, quae morbos malignos ita disponere valent, putridum, quatenus in larga copia per massam humorum dispersum est, primum locum tenebitur. A putrefactione etenim, ubique tunc suborta, quam plurimae, et imprimis nobiliores corporis nostri partes destruuntur, sicque funestus omnino acceleratur morbi decursus. Porro quoque fluidorum tenuitas morbum malignum reddere potest acutum. Sub tali enim illorum consistentia liberior putrido patet aditus ad alia loca, in quibus dein putrefactionem excitabit. Proinde constat ex antea dictis, loci conditionem huc quoque referendam esse, quando nimirum locus, in quo putrefactio subsistit, nobilioribus partibus admodum est vicinus, adeoque illa citius ad has progreditur, morbusque sic breuiori temporis interuallo funestum sortitur euentum.

## §. XXX.

Quae porro ortui morborum malignorum chronicorum accommodata esse possunt, ex antecedentibus iterum petenda erunt. Morbus chronicus opponitur acuto: hinc causae huius pariter erunt oppositae illius causis, adeoque putridum minori copia fluidis immixtum esse debet. Sed putridi indolem iam nouimus, quod nempe illud, cum aliis partibus cohaerens, eas quoque inficiat, et in putredinem cogat. Sequitur ergo exinde, putridi progressum ad alia loca in morbis malignis chronicis magis impediri atque retardari debere. Hoc autem nulla alia fieri potest causa, quam ob humorum spissitudinem, sub qua putridum magis inuoluitur, eiusdem ad alia loca transitus remoratur, solidaeque



daque simul ab arrosione defenduntur, adeoque fluida spissa et viscida efficiunt, vt morbi quidam maligni chronicorum indolem assumant et demonstrent.

Non obstat huic sententiae, quod miasma malignum valde subtile et volatile sit, eaque propter ab aliis humoribus inuolui non possit: constat enim per experientiam, quod non solum in chemicis volatilia quaelibet per admixta oleosa infringi et retineri possint, sed quod etiam in humano corpore miasmata in gelatinosis et oleosis eius humoribus diutius retineri et in sua aetiuitate infringi queant, testimonio reliquiarum Luis venerea, per plures saepe annos in certis corporis regionibus haerentium, et leno admodum gressu aetiuitatem suam exerentium.

## §. XXXI.

Singulis ergo iis, quae huc vsque exposita sunt, rite ponderatis, absque multa nunc intelligi poterit difficultate, quantopere annonae caritas faueat morbis producendis malignis, qui modo in chronicorum, modo in acutorum numerum referendi sunt. Chronicorum enim ortum ita concipere et demonstrare possumus: Id nempe, quod rationem in se continet ortae visciditatis in fluidis nostris, et insimul oriundae in iisdem putrefactionis, illud etiam chronicos morbos malignos determinare debet (per princip. pathol.). Sed neque de ortu visciditatis humorum sub annonae caritate, cum ille iam demonstratus sit in §. IV. neque de ortu putridi ex eadem (iuxta §. XI. et seq.) dubitari potest. Quare annonae caritate efficitur, vt chronici morbi maligni excludantur. Quoniam autem sub eadem calamitate morbi quoque acuti maligni excitantur, quando illa imprimis nimis diu perdurat; hinc merito concludendum est, quod sub hac conditione miasma volatile tandem fluidarum visciditatem, vltiori suae propagationi resistentem, superet, vnde dein putridum quaqua versus sese extendit, omnia breui temporis intervallo resoluit, partesque demum nobiliores destruit. Ad faciliorem vero ortum eiusmodi acutorum malignorum morborum variae quoque aliae occasionales et aduentitiae accedere possunt causae, v. g. vehementes animi commotiones, quibus fit, vt progressius aequae ac intestinus sanguinis motus augeatur, fluida hinc magis resoluantur, putridique distributio mirum in modum acceleretur.

## §. XXXII.

Quodsi etiam forte quaeratur, quidnam rationis hic subsit, cur vnica haec et quasi communis causa morborum malignorum in aliis pro-



producat scabiem malignam, in aliis vero scorbutum, in aliis tandem modo hanc, modo illam febris malignas speciem? tunc spem foueo non prorsus inanem, quod eius intuitu sufficienter satisfactura sint disputata in §§. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. Quibus adhuc adiungo individuales corporum determinationes, nec non variarum alarum causarum externarum accessiones, quorsum imprimis et haec pertinet, quod scilicet miseri cibis villioribus, et ad putredinem maxime pronis, ideo ut cogantur, quia aliis melioris indolis destituti sunt. Quantum autem haec omnia valeant ad morborum malignorum speciem in individuis determinandam, ex pathologicis vsque adeo iam constat, ut superfluum esse videatur, amplius hisce explicandis inhaerere.

§. XXXIII.

Singula huc vsque exposita comprobant experientia, optima illa rerum magistra, dum saepius et abunde iam docuit, quod in iis regionibus, ubi annonae caritas inualuit, scabies maligna, scorbutus, febres malignae, adeoque morbi maligni modo chronici, modo acuti epidemice grassati fuerint. Atque hoc etiam, durante praesente bello trulentio, iis in locis Silesiae obseruare licuit, ubi ob pagorum, agrorumque decastrationes, summa annonae caritas adhuc dum viget.

§. XXXIV.

Explanatis nunc iis, quae ad argumenti propositi illustrationem necessaria esse videbantur, colophonem equidem huic Dissertationi demum imponere possem, nisi incongruum fore mihi videretur, hic de methodo talibus morbis medendi prorsus siluisse. Quod igitur ad practicum huius argumenti momentum attinet, tota morborum malignorum, ex annonae caritate oriundorum, curatio iisdem superstruenda erit fundamentis, quae therapia in genere tradit, et cuiuslibet speciei talium morborum malignorum, ex vniuersali eiusmodi causa oriundorum, competunt. Hinc, pro diuersa conditione et gradu malignitatis, ut massa humorum congruo modo corrigatur, putridum ex corpore euacuetur, viresque vacillantes et deficientes roborentur, vniue laborandum erit. Quoniam vero eiusmodi morborum origo a tali causa pendet, cuius plenaria remotio non est in potestate Medici sita; hinc altiora auxilia miseri tales expectare coguntur, a Dei nimirum T. O. M. clementia, et illorum in populum ac subditos amore, quibus faeces rerum publicarum concedidit diuina prouidentia.

T A N T V M.





Dis. med. Kalle,  
Med. Diss.,  
6. 1758-68.

ULB Halle

002 830 728

3



SB

R. Leo ✓









DE  
**MORBIS MALIGNIS**  
 EX CARITATE ANNONAE  
 ORIVNDIS.

AVSPICIIS SVMMI NVMINIS

ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV  
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

S. R. I. NOBILI,

POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
 MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO, FACVLTATIS  
 MEDICAE SENIORE ET H. T. DECANO SPECTATISSIMO, REGIORVM ALVMNORVM  
 EPHORO, IMPERIAL. ACAD. NATVR. CVRIOS, PRAESIDE ET COMITE  
 PALATINO CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**

SOLEMNITER OBTINENDO

AD D. I. NOVEMBR. A. S. R. cldo cclxii.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

**EPHRAIM CAROLVS FRIDERICI**

OLBENDORFIO - SILESIVS.

HALAE AD SALAM

AERE SCHNEIDERIANO.

